

VII. sunt, id est Infantia Pueritia Adolescentia Iuuentus Grauitas Senectus. Infantia tendit vsque ad VII. annum. Pueritia ad XIV. Adolescentia ad XXVIII. Iuuentus ad L. Grauitas ad LXX. Senectus est quæ nullo annorum tempore finitur, sed post illas V. etates quantumcunque est uitæ, senectuti deputatur. Senium est ultima pars senectutis, dicta, quod sit terminus sextæ etatis. Postremum hoc inniti videtur Psalmo LXX. v. 18. Usque in senectam et senium, ubi tamen Hebraeus שִׁיבָה, Graecus Πρεσβειον habet. Dein fe-

quantur X. Genera Metallorum, puta: Aurum, Argentum, Auricalcum, Stannum, Plectrum, Plumbum, Aes, Cuprum, Calibs, Ferrum. Ad Plectrum observo designari vernaculum nostrum Blech, Belgis et Suecis Bleck, fortasse a Graeco Πλαξ, quod generatim materiem adtenuatam, Laminam notat. Unde rectius exponas in Carmine Ermoldi Nigelli, quae vocat, aurea Pletra (Goldblech) quam quidem visum Muratorio T. II. Rer. Ital. P. 2. et novis Editoribus Glossarii Ducang. Demum accedit hic Versus:

Qu) ang)uis di) rus tri)sti mulce) dine stra) uit.
H) os Sang) mi) rus chri) sti dulce) dine la)

cui subscriptum: Anno domini M^o CCC^o LXIII^o in octaua innocentium frater ch. Tansaig scripsit supradictos uersus. Ab hac manu etiam Metalla sunt; sed Nota de Aetatibus Codici συγγεγονος est.

CVIII.

U. 562 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. nunc 38. 8. nitidissime exaratus complectitur I. Textum Apocalypseos laxius scriptum ad recipiendam Glossam interlinearem, margine exteriori comitatum Glossa ordinaria. Utriusque Glossae character tam minutus est, ut acutissimum Librarii visum mireris. Caput XIV. cum fine XIII. et initio XV. excidit.

II. fol. 15. accedit Expositio VII. Epistolarum Canoniarum, cuius Prooemium incipit: Jacobus. Petrus. Judas. Johannes VII. epistolas ediderunt, quas ecclesiastica consuetudo uocat catholicas. i. uniuersales. i. a fide uniuersalis ecclesie non discrepantes. uel canonicas. i. regulares. i. in fide et tolerantia persecutionum. plurimisque uirtutibus ecclesiam regentes &c. Initium ipsius Expositionis: Ego iacobus seruus dei. i. creatoris et domini omnium potentialiter. nostri autem i. apostolorum per excellentiam &c. Igitur non habetur Textus ipse continuus, sed particulatim, ut Glossatorum usus fuit. Omnia uero characterem non multo majore, quam Glossae Apocalypseos, exarata sunt. In expositione dupli-

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1126

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

duplicis Testimonii *Joh. I. c. 5.* patet, in Codice Expositoris Testimonium terrestre prius scriptum fuisse, quam coeleste. In expositione Epistolae *Judae* abrumpitur Codex his verbis: *vel praeceptis*

diuinis quae sunt quasi vincula—*—*. Unde non nisi unum folium deperiisse videtur. Expositor non est ex mihi notis, nisi sit *Haymo Halberstad.* quem ad manum non habeo.



CODI-